

Cæterum expectabunt aliqui rarioris argumenti  
Symbolum, sive recordabuntur id ab Antecessoribus meis  
abhinc digressis fuisse observatum; sive credent honori meo  
consultum fore, si quintam curiositatis essentiam, in ultimâ  
hac declamandi licentia auribus faventissimis affunderem.  
Neutrum tamen ad prolixum Orationis apparatus me po-  
terat perducere: cum id facile videretur constare, non defu-  
turum mihi argumentum, qui toties operam meam exhibu-  
isse; ac imprimis tarda esset sedulitas honori consulere  
sub ipsum discessum. Ast alia evicit causa, ut honestior &  
firmior, ita Vobis, ut spero, futura gravior. Nam quoties  
octo annorum decursus mecum repeto, ac in istis tum in-  
formandi varias regulas apud me, tum diversa aliorum ju-  
dicia de me perpendo; nolim hanc relinquere memoriam,  
fuisse me ab observantia salutis publicae ullâ in parte alienum:  
quicquid tandem externa actionum mearum facies  
persuaserit leviter intuentibus: ac adeo nec à loci dignitate,  
nec ab Audientium favore, nec à Professionum, quas ges-  
si, naturâ me abiturum confido, si breviter dixero, De

### *STATISTA SCHOLASTICO,*

ita quidem ut certum evadat, nihil in abstrusiore Politicâ un-  
quam fuisse adhibitum, cuius exempla non extit in ob-  
scuris Informantium Parietibus: & esse igitur quasdam do-  
cendi vias, quæ si vel maxime publicam opinionem ever-  
tant, obtinendo nihilominus scopo singularem & genuinam  
commoditatem fenerentur. Vos faltem Auditores hono-  
ratissimi, ne in discessu meo ominibus tristioribus aperiatur

B 2

janua,